



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VII. Quia ad reparationem mundi concurrit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

relevaret concussum orbem, qui sub saevo duri hostis erat dominio. Speciale autem aliquid supra Evæ justitiam originale habuisse Divam Mariam *Gerson. tract. 4. in Magnificat deducit.* Nostra Beata Virgo semper habuit gratiam gratum facientem, quæ originali supereminet justitiæ, quâ primitus ornata fuit Eva, sed eam perdidit. Et quod spectat ad nostri generis ornamentum. Gloria est luti nostri Virgo, quæ Evam pudore, Adamum comminatione liberavit, ut dixit *Hesychius Jeros. orat. Deip. Pulchrè S. August. lib. de 5. Heres. cap. 6.* S. Mariam confert cum Eva. Ecce Mater generis pœnam intulit mundo: Genitrix Domini nostri salutem & fœminæ, & viro suggessit. Auc̃trix peccati maledicta, Auc̃trix meriti benedicta, illa occidendo obfuit, ista vivificando profuit, percussit illa, at ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia mutatur; & fides pro perfidia compensatur.

Albertus Mag. super Missus cap. 54. alludens ad illud hymni. Mutans Evæ nomen, ita hoc ipsum ponit. Maria nomen Evæ mutavit non voce quidem sed re, illa quidem omnes generavit in mundum, ista in cœlos; illa Mater carnalis, ista Spirituâlis, ista Mater misericordiæ, illa miserix, illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis, illa gratiam perdidit, ista gratiam invenit, illa de latere viri dormientis facta, ista de corde Dei vigilantis, illa viro suo fuit occasio perditionis, hæc viro suo ad jutorium redemptionis, illa desponsatur origo corruptarum, hæc desponsatur mensura virginum, illa prima virginitatem perdidit, ista prima virginitatem Deo consecravit, illa à diabolo decepta, ista ab Angelo edocta, illam diabolus vicit per superbiam, ista diabolum vicit per humilitatem. Et sic patet quare B. V. vocata est Maria, & non Eva; quia mutavit nomen Evæ non voce, sed re, id est damna quæ Eva intulit reparando.

7. Quia ad reparationem mundi concurrit.

Ad restaurationem humani generis sufficere poterat solus Christus, sicut omnis sufficientia nostra ex ipso est; sed bonum non erat nobis esse hominem solum, congruum magis erat, ut adesset reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Dixit *S. Bernar. serm. de Assumpt.* Et sicut ad ruinam nostram multum contulit Eva, decuit ut ad reparationem conferret Maria.

Quod ipsum expræsit *S. Jren. lib. 1. contra Valentinum cap. 33.* Sicut Eva inobediens facta est & sibi & universo generi causa mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen Virgo obediens, & sibi & universo generi humano facta est causa salutis. Consonat *S. Anselm. lib. de laud. Virg. cap. 9.* Incomparabili sublimitate Virgo hoc promeruit, ut Reparatrix perditæ orbis dignissimè fieret. Quod antea *S. August. dixerat serm. de Assumpt.* Hæc primæ matris damna resolvit, hæc homini perditæ

perdito redemptionem adduxit: Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem reddidit mundo. *Et rursus.* Magna per te fecit Dominus Deus, ut mundum redimeret. *B. Amedeus hom. 7.* Sicut Evæ scelere mundi fit damnatio, ita fide Mariæ facta est orbis reparatio. Quod ipsa *S. Virgo dixit B. Brigittæ lib. Revel. cap. 35.* Sicut Adam & Eva vendiderunt mundum pro uno pomo: sic Filius meus & Ego redeminus mundum quasi uno corde.

Inter alios sensus juxta quos Virgo redemit mundum potest hic esse, qui arma porrigit alteri ad pugnandum & vincendum, ille cooperatur ad pugnam & victoriam. Virgo certè arma Christo, id est carnem & sanguinem subministravit, per quæ hostes vicit, & salutem operatus. Ita *Richard. à S. Laur. apud Navarinum elect. lib. 4. num. 642.* Christus cum diabolo pugnaturus pro sponsa sua exheredata, scilicet Ecclesia, in utero B. Virginis velut in tabernaculo armaturam humanæ carnis sibi aptavit. *Et S. Leo serm. 1. de Nativit.* Omnipotens Dominus cum sævissimo hoste; non in sua majestate, sed in nostra congredditur humilitate; imò Virgo ad hoc est à Deo facta, ut hæc arma subministraret. *Ait Idiota cap. 4.* Inter omnia opera æterni Opificis post operationem illam, quæ naturæ nostræ unitus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ô Beatissima Virgo Maria, qui ad hoc te fecit, ut quod de primo opificio erat deformatum, per te reformaretur. *Velut Ecclesia Græca in Menæis capit. 4. In ode 4.* Christus à cunctis generationibus te elegit, ô Deipara, quam non aliter ad domum suam incoheret: ut nos à peccato destructos per tuam tecum unionem longè præstantius repararet. *Andr. Cret.* Sola præter naturam electa fuit ad naturam renovandam.

Ad quod addo illud *Damian. serm. de Annunc.* Ut sicut sine illo id est Christo nihil est factum: ita sine illa id est Maria nihil sit refectum. Hinc *S. Germ. Constantino Patriarcha orat. de luminib. sanct.* ita illam veneratur. Huc ades Renovatio rerum antiquarum. Sicut nimirum in creatione mundi antequam Spiritus Domini ferebatur super aquas terra erat inanis, & obscura, ita antequam Spiritus S. obumbrasset Virginitatem fuerunt omnia una caligo. *B. Amed. hom. 3.* Spiritus S. superveniet in te. Superveniet in ubertate & affluentia, in plenitudine & in effusione carnis, & animæ: cumque repleverit te, adhuc erit super te, & super aquas tuas feretur, facturus in te quiddam melius, & mirabilius quàm cum ferebatur super aquas à principio.

Sed redeamus ad arma. *Zeno serm. 4.* Dei Filius ab æterna sede profectus in prædestinatæ Virginis templum, sibi met castra metatur. Inter opera *S. Augustini serm. de Incarnat.* Quantæ sanctitatis putabimus animam tuam fuisse ô Maria! cum caro tua tantum placuerit Creatori, ut de ea sibi faceret pallium laudis & loriceam victoriosi certaminis, atque ita concurreret ad certamen victoriosum.